Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1315

Quelle:
Copyright:

tu pauca quædam attingemus. Poſtremo, quomodo mulctandi, qui Scripturæ, Patrum, et Eccleſiæ præceptis negligentis, illegitime ſibi Sacerdotium uſurparint. En σκιαγραφημα totius Tractationis, in qua *Scaevolinus* verſatiſſimum ſe in ſacris Literis, omnique antiquitate eccleſiaſtica perhibet. Exit illa in ἀποστροφην ad Deum O. M. cujus ultima: *Tuque ipſe tuas aras, tuos focos, tua templa, tua ſacrificia, tuos ſacerdotes defende.* Subſcriptum: *Poſonij. M. D. LXI.* Sunt mihi Aſſertiones *diſputatae in Templo Prædicatorum die XX. Oct.* ejusd. anni *hora prima*, quarum titulum, cum omnino rariſſimae et ipſis Ordinis Bibliothecariis incognitae ſint, hic cum Eruditis communicare non pigebit. *Sereniſſimo atque Inuictiſſimo Bohemiæ Regi Maximiliano F. Joannes Dominicus Scoevolinus laborem hunc qualemcunque, ſeque ipſum perpetuo ſacrauit: maiora, niſi Deus impediat, poſtea ſacraturus. Viennae Auſtriae Excudebat Michael Zymmermannius Anno M. D. LXI.* Foll. 12. 4. In his porro Aſſertionibus Autor *Joh. Pici, Paulive Scalichii* ingenium aemulatus πολυμαθειαν profitetur et argumenta *Theologica, Platonica, Peripatetica, Aſtrologica, Mathematica, Militaria, Poetica, Rhetorica, Contra communem opinionem* ſeu παραδοξα et *Moralia* diſcuſſioni offerens non raro utramvis partem ſe tuiturum pollicetur. Ita legas: VII. *Nunquid erratum eſt a Petro, cum Paulus illum reprehendit? Affirmamus cum Auguſtino. Negamus cum Hieronymo.* &c. Nihil aliud de Viro hoc compertum. Itaque non tam a *Deo*, ut ſupra ait, quam a morte praematura *impeditus* fuiſſe videtur, ne majora *Maximiliano* ſacraret.

II. *Inquirenda ab Haereſeos Inſimulatis.* Examen de praecipuis Fidei Capitibus. Interrogationes fiunt ex mente Eccleſiae *Rom.* Catholicae. Reſponſa *Lutheri* Sectatorem produnt. Ita de Sacramentorum numero: *Credo ſacramenta noui teſtamenti ſine controuerſia eſſe duo, baptiſmum et corpus et ſanguinem Domini* &c. Et de Euchariſtia: *Credo in Euchariſtię ſacramento ſub ſpecie panis eſſe verum Corpus Chriſti — Speciem autem hoc loco non pro inani et mendaci figura ſed pro ſubſtantia et veritate intelligo* &c. Interrogatio prima eſt: *An credat iure diuino licitum eſſe preſtare iuramentum?*

III. *Vtrum Nonnulla Proteſtantibus concedi queant?* Additur: *Interrogati reſpondemus cum proteſtatione de Saluis ſaluandis. Fol.* vero praevio legitur: *Sereniſs. Regiæ Maieſt.* (Ferdinando I.) *ſeorſim, vbi vacabit, perlegenda. Ratisponæ in Comitijs. Anno 1557.* Initium: *Quanquam ſuperbiores aduerſarij ſunt, quam vt Eccleſiaſticis vel tantillum donare in animum inducant* &c. Scriptum memorabile 7. *foll.* quod in eo vertitur: *Vt aliquid concedatur ad Sectarum poſtulationem, non aſſentior; Verum ut quæcunque*

in